



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi Fossatensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

mus, regium super hoc dignati sumus implorare favorem; & cursor noster qui apostolicas tibi litteras praesentavit, litteras quoque Prioris ac monachorum, qui ex mandato totius Capituli Cantuariensis celebraverant electionem memoratam, super assensu petendo regiae sublimitati porrexit. Ideoque non vidimus oportere de novo post haec omnia regium postulare consensum, sed illud disposuimus, non declinantes ad dexteram vel ad sinistram, quod sanctorum patrum canonicae sanctiones statuunt faciendum, ut videlicet nihil morae vel difficultatis rectis dispositionibus afferatur, ne gregi dominico diu desit cura pastoralis. Quocirca nil discretioni tuae vel regali prudentiae suggeratur à quoquam quo aliquatenus valeat à consummatione hujus officij revocari: quoniam cum absque vi & dolo canonica sit electio de persona idonea concorditer celebrata, sine damno famae & periculo conscientiae differre non possemus. Tu ergo, fili carissime, cujus honori supra jus deferre curavimus, secundum jus nostro studeas honori deferre, ut gratiam divinam & nostram uberius merearis; ne forte, si secus egeris, in eam te difficultatem inducas de qua non facile valeas expediri, cum tandem oporteat eum vincere cui flectitur omne genu caelestium, terrestrium, & infernorum, cujus nos vices in terris, licet immeriti, exercemus. Ne igitur eorum consiliis adquiescas qui tuam semper turbationem desiderant ut melius possint in aqua turbida piscari, sed nostro beneplacito te committas. quod utique tibi cederet ad laudem, gloriam, & honorem. Quia non esset tibi tutum in hac causa Deo & Ecclesiae repugnare pro qua beatus martyr & Pontifex gloriosus Thomas sanguinem suum recenter effudit, praesertim ex quo pater & frater tuus clarae memoriae tunc Reges Anglorum in manibus Legatorum apostolicae sedis illam pravam consuetudinem abjurarunt. Nos autem, si nobis humiliter acquieveris, sufficienter tibi & tuis providere curabimus, ne super hoc valeat vobis aliquod praesudicium generari. Datum Laterani pontificatus nostri anno decimo.

ABBATI ET CONVENTUI
Fossatensi.

Solet annuere sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis pre-

cibus inclinati, redditus quos bonae memoriae Ysembardus Abbas de assensu vestro, filii conventus, ad augmentum luminarium sacristiae monasterij vestri apud Longumvillare concessit, sicut eadem ipsos justè possidet & quietè, ipsi auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino &c. Datum Romae apud sanctum Petrum v. Idus Ianuarij, anno decimo.

EPISCOPO, ARCHIDIACONO,
& Praeposito Atrebatensi.

Dilecti filij Abbas & conventus de Cifonio nostris auribus intimarunt quòd quaedam domus eorum, quae dicitur *Bel-Repaire*, praeter Canonicos & fratres tanta est onerata multitudo feminarum, quas recipere ad instantias & importunitates Principum compelluntur, ut ad necessariam sustentationem earum nequaquam domus ejusdem sufficiant facultates. Propter quòd indulgeri sibi suppliciter petierunt quòd de cetero non recipiant ibi aliquam mulierem; ne, quod absit, suadente humani generis inimico, per ipsas detur occasio delinquendi. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita diligentius & cognita veritate statuatis inde quòd utilitati Ecclesiae ac saluti servientium in eadem noveritis expedire, contradicentes &c. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcopo, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Romae apud sanctum Petrum v. Kal. Februarij, anno decimo.

Epist. 221.
De minuendo
feminarum
numero in do-
mo Canonico-
rum.

PREPOSITO ET CAPITULO
Placentino.

NE super mandato quòd pro vobis olim fecimus Placentinis aliqua possit in posterum dubietas exoriri, illud de verbo ad verbum vobis duximus subscribendum. **CONSULIBVS** & civibus Placentinis. Hoc est praecipuum quòd vobis injungimus sub debito praesenti juramenti. Ut de cetero contra tenorem Lateranensis Concilij non gravetis Episcopum vel clerum Placentinum exactionibus vel collectis, & restituatis omnes fructus extantes quos eis abstulistis vel fecistis auferri. Super aliis autem rebus ablatiis condescendimus vobis hoc modo, si tamen hanc gratiam velitis gratam habere, ut ad praesens tria millia librarum illis reddatis, & pro residuo, sicut offertis, communia obligetis eisdem, ita ut vos nomine ipsorum

Epist. 222.
Confirmetur
mandata facta
placentinis.

Epist. 210.
Confirmatur
quodam con-
cilio.